

Cur retinenda est particula exclusiua „gratis“?

Item „sola fide“ iustificamur?

Quatuor sunt causae, propter quas necesse est retineri exclusiuam. Prima est, vt tribuatur honos debitus Filio Dei, quod haec sola hostia sit precium pro nobis iuxta dictum: „Hic est agnus Dei, qui tollit peccata mundi.“<sup>163</sup> [85:] Se- 5  
cunda est, vt conscientiae habeant firmam consolationem iuxta dictum Rom. 4: „Ideo ex fide gratis, vt sit firma promissio.“<sup>164</sup> Tertia causa est, vt inuocatio fieri possit, quae impeditur conspectu nostrae infirmitatis, nisi erigamur fiducia mediatoris. Quarta est, vt conspiciatur discrimen legis et euangelij, quia particula „gratis“, „fide“ et expressa mentio mediatoris praecipue dis- 10  
cernunt legem et euangelium.

Quod est mortuorum resurrectio?

Resurrectio mortuorum vniuersalis est actio Dei externa, qua Deus pro sua immensa potentia et iuxta liberrimum decretum voluntatis suae omnium hominum corpora ab hac vicissitudine generationum et corruptionum vindicabit et rursus cum animis copulabit, vt ad omnem 15  
aeternitatem aut poenas scelerum vna cum diabolis persoluant aut communicatione lucis, sapientiae, iustitiae et vitae diuinae fruantur.

[86:] Cur expresse dicitur: „Credo resurrectionem carnis<sup>d</sup>“?

Quia sicut corpus mortificatur propter peccatum, anima non moritur, sic corpora quidem resuscitabuntur, animae vero resurrectione non habent opus, 20  
cum maneat superstites, postquam discedunt ex corporibus ac in nouissimo die rursus copulabuntur cum resuscitatis corporibus. Cyprianus scribit in aliquot orientis ecclesijs articulum de resurrectione carnis δεικτικῶς fuisse pronunciatum: „Credo

<sup>d</sup> Im Druck durch Versalien hervorgehoben.

<sup>163</sup> Joh 1,29.

<sup>164</sup> Röm 4,16.